

CONSPECTUS OPUSCULI

- N. 231. An virilis atas debet ea ponere & quomodo poterit, si demonstraciones præquiruntur?
- N. 233. Contradictoria sequuntur.
- N. 234. Et parva impossibilitas.
- N. 235. Sophistici libelli alicujus definitio præjudicij duplex.
- N. 236. Belle tornata poëtica.
- N. 237. Quam reflexionem excludat præjudicium? Cavilli auctoris ridiculi, contradictorii.
- N. 238. Hactenus ostensum, quam male jubeant indiscriminatum præjudicia ponere.
- N. 239. Que demum sint præjudicia & quomodo ponenda? nostrum hic non est promissum negotium. Requirimus hoc ab illis Dictatoribus novis.



I. Nihil

\*\*\* (o) \*\*\*



- I. **N**ihil frequentius legas hodie & audias, quam admirationes de REGNO RATIONIS nostris diebus ad summum fastigium evecta. Omnes scientiae in clarissima luce esse possitæ dicuntur, & admirationi nos futuros majoribus, si illi è tumultu revertentur. Rationem hodiernorum hominum, qui jam sunt, esse illustriorem, vivam magis & penetrantem; & ob hoc etiam admirationi nos futuros majoribus.
2. Operæ pretium facturum existimarem hominem aliquem doctum, qui argumentis palam prolati fastuosos hos spiritus reprimeret: qui mihi certe pueriles videntur; Is enim esse puerorum mos solet & juvencolorum, ut semper sibi sapientiores senibus videantur, & scintillæ suæ rationis velut quodam sole mire capiantur.
3. Ex hac Rationis præsumptæ & vægrandis opinione proveniunt admonitiones aliæ non minus frequentes de PRÆJUDICIIS PONENDIS, si velimus sapere.
4. Videntur hæ admonitiones proficiunt primum ab hominibus benevolis, quibus curæ sit rationem nostram hodierni ejus regni participem facere.
5. Videntur proficiunt ab hominibus altum sapientibus, & qui Rationem sublimem toto hauserint pectore, in ceteros etiam exundare volentem. Videntur adeo conducere nos ad illam Paradisi arborem, è cuius esu serpens parentibus nostris similitudinem

A

Deo-

Deorum optima scilicet voluntate ad promisit.

6. Adhæc videntur hæc pertinere ad magnitudinem & excellentiam hodiernæ rationis præ ratione majorum nostrorum. Quippe hi simplices in ea re, quæ orbe regit, quæque adeo summi momenti est, hoc est in *jure* dicundo hactenus soliti sunt multum tribuere præjudiciis, & si quid in tribunali eadem de re invenerint judicatum antea à majoribus, non inviti sequuntur rem ipsam; circumstantias tantum, num sint eadem expendunt.

7. Et nisi fœde depicior ego, omnes leges, edicta omnia, omnia statuta à majoribus nostris facta, non fere sunt nisi præjudicia. Ex quo videri possunt ii, qui præjudicia sine discrimine ponenda suadent ad sapientiam obtinendam, tollere ex animis nostris velle leges ac legum vim omnem.

8. Facile ergo ex hoc vel solo mecum consensurum lectorem spero, ut is quoque credat, dignam esse eam rem, in quam inquiratur attentius, ne specie veri & boni decipiatur, quemadmodum decepti misere sunt, quibus ex arbore scientia promissa similitudo deorum peperit similitudinem dæmoniorum.

9. Ansam de his cogitandi mihi præbuerunt *Honesti illi pueri, die ehrliche Rerl*, qui præjudiciis *aliorum* profecto nimium positis, præjudiciis tamen suis reguntur quam maxime, cum dicunt se sola ratione vivere.

10. Ansam præbuere Juris naturæ heterodoxi scriptores, qui cum auctoritatem quamcunque ex vita humana, sive ex regulâ vitæ humanae, quæ est Jus naturæ, excludendam contendunt, reipsa nihil aliud agunt, quam ut nomine præjudiciorum, auctoritatib[us] tributo, abutantur.

11. Ansam ultimo loco præbuit Auctor libri, qui titulum habet *Spiritus legum*. Quamquam enim is semper secum pugnet, & præjudiciorum vim eo ipso stabiliat, cum ea impugnat, tamen hanc mihi ansam præbuit propterea, quod in præfatione sua beatitudinem omnium mortalium maximam existimet hanc, si ipse efficere quodammodo possit, ut omnes homines præjudicia à se abdicent. His enim verbis concludit illam præfationis suæ partem, in qua scopum sibi in libro propositum prodit: *Omnium mortalium me putarem beatissimum, si efficere possem, ut OMNES HOMINES SEIPSOS A PRÆJUDICIS SUIS SANARENT. Præjudicia autem hic appello non id quod nos ignorare*

norare facit certas quasdam res, sed quod facit ut ignoremus nos ipsos. Hæc ille.

12. Quemadmodum semper multum cavit Auctor, ne aliquid eorum, quæ tractat, definiat, ut semper effugia parata habeat; ita tam magnum hoc votum suum fecit de re indefinita, & beatitudinem suam constituit in acquisitione rei, quam & nos ignorare facit, & ipse videtur ignorare. Is qui à nobis & ab omni humano genere petit, ut præjudicia nostra ponamus, & ut ipsi nos ab iisdem præjudiciis tanquam peste sanemus, debuisset nobis dicere genus morbi: absq[ue] quo curationem aggredientes rem forte deteriorem faciemus, imperitorum instar medicorum, qui hecticam pro febri curantes in plitisin deducunt ægrum. Ut nosmet ipsos sanemus, à præjudiciis, hoc est ab iis, quæ nos impedirent cognoscere nosmet ipsos, necesse est plane scire illa impedimenta.

Et hoc solum nos celat auctor, hæc impedimenta nullo verbo nobis prodit. Invidus est auctor, qui medicinam nobis abscondat. Vanus, qui sanari nos à morbo velit, & morbi genus nec sciat nec pandat. Verbiseminius, qui beatitudinem suam putat, si nos sanemur à præjudiciis, & beatitatis hujus adipiscendæ

viam sibi ipse præcludit, abscondens nobis media, quibus hunc ei finem nos compararemus.

13. Eadem autem etiam aliorum, qui st̄epe de præjudiciis ponendis nos adhortantur, solet esse consuetudo, ut semper præjudicii abominationem in ore habeant, nunquam exponant quid sit præjudicium in universum? aut quæ singillatim sint præjudicia?

14. Quamobrem ego qua potero, examinabo jam *primum*, quid sub hoc Auctoris Spiritus legum voto lateat, & quid id generi humano sit profuturum?

*Deinde* in universum de Præjudicio agam, quid sit? quale & quomodo nascatur? Sitne præjudicium omne abjiciendum? an contraria sint aliqua utilia, necessaria? Quid periculi, quid stuporis, quid monstri sequatur humano generi, si eos, qui absque discrimine præjudicia ponenda prædicant, sequamur?

15. Hæc aliaque, quæ humani generis intersunt plurimum, mallem à profundo aliquo ingenio retractari ad consuetam magnis viris amussim. Quæ dum ego tractanda mihi sumo, conscientia curtae domi supellectilis, nolim temeritate mea offendit sive doctos sive rudes & imbecilles. Namque docti imperitia mea ir-

A 2 ritati

4 Pars Prima. Quomodo Auctor Spiritus Legum versetur &c.

ritati excitari poterunt ad rem eandem clariori luce collustrandam. Imbecilles vero cognoscunt, non quidem quid decreto-rie hac de re sit sentiendum, at cognoscunt tamen difficultatem rei decernendae, quam ego decernere multo adhibito studio & examine non potuerim. Hoc ubi cognoverint, satis ex meo hoc labore fructus tulerint: quippe jam non poterunt ita esse prompti ad aurem illis admonitoribus præbendam, qui absque ullo examine aut indicio (quod auctor spiritus legum fecit) sine discriminatione ullo jubent præjudicia pone-re. Imbecilles agnoscent ex opella hac mea, quam sit ardua res præjudicia discernere à veris judiciis, præjudicia mala à præjudiciis bonis; quanti periculi sit, si absque hoc examine & absque discriminatione prompti simus ad exuendas à nobis multas sententias tanquam præjudicia, quæ aut præjudicia non sunt, aut sunt etiam certa & necessaria.

PARS PRIMA.

Quomodo Auctor Spiritus legum versetur in præjudiciis removendis?

16. D<sup>e</sup>finit Auctor Præjudicium dupliciter: Præjudicium

enim primo dicit esse illud, quod nos ignorare facit certas quasdam res. Secundo Præjudicium est id, quod nos nobis ipsis incognitos facit, seu quod facit, ut ignoremus nos ipsos.

17. Hæc certe est definitio qualem bellus spiritus & pulchellum ingenium viginti annorum labore potuit elaborare: quæ nec omni conveniat nec soli, nec sit clarior definito, nec genere constet nec differentia, neque quid dicat, neque quale, neque quantum, neque aliquid horum quibus ens determinatur.

18. Sed mittamus ista de arte definiendi. Bella ingenia dicunt, hos esse pedantismos, scholam olere. Bellis ingenii sufficere definitiones quæ raræ sint, quæ velut scintillæ ex ingenio exsiliisse videantur, quæ denique sint tales ut in iis cogitare aliquid possint alia bella ingenia. At si dico, *Præjudicium est, non quod nos facit ignorare certas res, sed quod facit ignorare nos ipsos*, hæc definitio est rara; est belle tornata ex antithesis & oppositis; ea definitio mihi relinquit campum cogitandi liberrimum, ut mille rebus dulcibus & amaris, nigris & albis eam definitionem applicem. Quam bellum est hoc & fœcundum!

19. Ve-

Pars Prima. Quomodo Auctor Spiritus Legum versetur &c. 5

19. Veniat enim aliquis quem delebet clam depositam apud se pecuniam negare eamque sibi retinere: metu tamen quodam angitur, ne furti sit reus. Medicina Ægro animo præbebit definitio præjudicij: Hic tuus metus facit ut ignores te ipsum, est præjudicium, sanare temet ipsum ab hoc debes. An nescis, omnes homines naturâ æquales esse? ii qui agros & opes distribuerunt non æquis portionibus, ignorarunt hoc, præjudiciis tenebantur. Cur alter circumfluat, & tu, qui æque homo es, egeas? Ignoras temet ipsum: Sana te ipsum: abjice hunc metum, qui ut te ignores, facit.

20. Veniet aliis captus amore pellicis, metu tamen nescio quo eam parans dimittere. Curabitur is, ut pellicem retineat, cognoscendo se ipsum, certe idoneum ad pellicem habendam æque ac ad habendam conjugem: imo magis idoneum, quia proniorem ad hoc. Religio id vetat? quid tum? At religio facit ne agnoscam me ipsum. Ego sum idoneus pellici, hoc agnosco: religio vult me esse non idoneum: facit, ut ignorem me: retinebo pellicem; religionem mittam ad alteram vitam, ubi forte non ero idoneus: sic sum sanatus feliciter à meo præjudicio: sic me sanavi ipse: sic auctorem spiritus legum omnium mortalium beatissimum feci.

Eius porro generis sunt, tanta ut nihil sit adeo triste ac fœdum, quod non patrocinium in hac præjudicij definitione paratum inveniat.

21. Non hic insimulo auctorem, velut is hæc fœda doceat aut probet, hoc saltem loco: sed ejusmodi definitionem condidit, unde fluere omnia absurdâ possint: ejusmodi scopum sibi proposuit, ut non magis boni quam mali sit finis.

22. Transeamus à definitione ad ipsum opus, ad Spiritum legum. Absque dubitatione istud opus eo fine conscriptum est, ut omnes homines ex eo discant cognoscere se ipsos; atque adeo hic liber debet primo removere illa impedimenta, quæ faciunt ne nos ipsos cognoscamus. Secundo debet suggestere media, ex quibus possimus nos ipsos agnoscerre. Tertio non debet removere ea, quæ tantum faciunt, ut tantum res alias certas ignoremus: nam talia præjudicia persequi hic non vult auctor. Adeoque Quartu non debet suggestere talia media seu tales rationes, ex quibus cognoscamus certas alias res à nobis distinctas: nam tales cognitiones suggestere aut à talibus

A 3

præ-

6 I. Media agnitionum ab Auctore Spiritus legum suggesta, &c.

præjudiciis nos sanare iterum non est propositum auctori, ut in supra allegato præfationis paragrapgo Num. 11. docet & profitetur.

23. Verum ego commonstrobo, auctorem omnia his promissis contraria facere in suo libro. Quæ non deberet docere, docet, quæ deberet docere, removet. Removet media, quæ ad nostri cognitionem nos ducere possent: Occupatur multum in promendis mediis, quæ nos ducunt non in cognitionem nostri, sed in cognitionem rerum aliarum.

24. Nullo igitur modo potest sperare, genus hominum per ipsius laborem liberatum iti à præjudiciis illis ipsis, quæ ipse præjudicia dicit.

Quin contrà ultimo loco ostendam ego, totum auctoris librum habere hunc scopum, ut omnes homines maneant in illis præjudiciis in quibus sunt & in quibus se inveniunt.

I. Media agnitionum ab Auctore Spiritus legum suggesta, non ducunt ad cognitionem hominis, sed aliarum rerum.

25. (1.) T Otus liber absolvitur in respectu legum ad variam regiminis formam: ad clima; ad fertilitatem terræ, situm,

magnitudinem: ad arandi, paſcendi, aut venandi consuetudinem: ad servitutem: ad materiam legum: ad leges alias. Ait enim Lib. I. Cap. III. in definitio- ne duas paginas longa: *Ille relationes omnes simul sumptæ sunt hoc, quod appellatur Spiritus legum.* Vid. *Disquisitio Spiritus legum* Num. 57. seqq.

At potest aliquis ista omnia scire & intelligere, & nihilominus ignorare se ipsum.

Igitur ea, quæ auctor toto libro prodit, non sunt media ad cognoscendum se ipsum, sed alia.

Homo enim non est regimen monarchicum, non lex, non clima &c. Ergo qui hæc cognoscit, non mox cognoscit hominem, praesertim non se ipsum.

26. (2.) Auctor pro cognitione sui adipiscenda suggerit clima tanquam causam characteris spiritus. Clima facit eudem talem, fibras tales, nervos tales. Ex hoc cognoscitur, spiritum quoque hominis esse talem. Et ad hoc probandum auctor usus est lingua *vervecis*, quam microscopio acutissime contemplatus est, & gelascenti etiam aëri exposuit. *Spiritus Legum* Lib. XIV. Vid. *Disquisitio Spiritus Legum* Num. 71. &c.

Atat

I. Media agnitionum ab Auctore Spiritus legum suggesta, &c.

Atat glacies, vapor diurnus, nervus, cutis, lingua *vervecis*, microscopium, nec homo sunt nec media propria ad cognoscendum hominem ejusque characterem.

Igitur ea, quæ auctor suggestit, non sunt media ad cognoscendum seipsum, sed alia.

27. Nam ex nervis, cute, & per linguam *vervecis* ac per microscopium non magis hominem cognosco quam *vervecem*, muscam, aut asinum. Per microscopium non nisi materia cernitur, & oculis materialibus. Homo autem non totus est materia, si tamen hoc nobis concedit auctor, metuo enim valde: nam si quid præter materiem admitteret auctor, spiritum & characterem spiritus non procuderet ex eute. Vid. *Disquisitio Spiritus legum* Num. 73. seqq.

28. (3.) Media agnitionis ab auctore suggesta sunt hæc, nempe variae formæ regiminis, clima, servitus, libertas, aliaque supra enumerata.

At vero ex his omnibus & singulis inferri possunt contraria. Igitur media ab auctore suggesta non sunt media certa ad hominem cognoscendum, sed ad contraria.

29. Nam ipse auctor ex clima infert contraria & contradic-

ria, fugam mortis in Indis & non fugam sed desiderium, & sic porro Lib. XIV. Cap. III. Cum vero Climatis imperium fecerit Auctor esse imperium omnium primum, & fecerit ex climate nasci regiminis formam, servitutem, libertatem, mores, religionem, spiritum & spiritus characterem; facile est inde inferre, nihil ad agnoscendum certo hominem valere cetera ista, si clima tanquam causa prima nihil valet. Vid. *Disquisitio Spiritus legum* Num. 86.

30. (4.) Media agnitionis ab auctore suggesta non tam ad veritatem inveniendam, quam ad exiguum aliquam utilitatem hujus tantum brevissimæ vite ordinantur; quia auctori etiam falsa, etiam injusta, tamen admirabilia sunt pro societate Lib. XXIV. Cap. XIX. Vid. *Disquisitio Spiritus Legum* Num. 165.

Atqui media non ad veritatem ordinantur non sunt media, neque ad hominem cognoscendum, neque ad alia;

Igitur media ab auctore suggesta nec ad hominis nec ad aliarum rerum agnitionem serviant.

31. Nam Cognitio, cui veritas deest, deceptio est: deceptio autem aut præjudicium est aut aliiquid præjudicio deterius. Igitur auctor non tantum præjudiciis sed

8 I. Media agnitionum ab Auctore Spiritus legum suggesta, &c.

sed deceptionibus latissimam portam aperuit, qui dolosis promissis scopum sibi proposuerat præjudiciorum omnium in toto humano genere eversionem.

32. (5.) Immortalitatem animæ admittat auctor nec ne, non dispuo. Supposito autem quod illam admittat, sic arguo: Finis animæ *immortalis* non est hæc vita corporea, & hæc societas hujus quæ dicitur vita; sed anima ipsa, ejusque actiones, & societas ordinantur ad futura; sive, ut auctoris lingua loquar, anima & hæc societas habent respectum necessarium ad futura, ortum ex natura sua.

Ergo media agnitionis seu rationes, quæ tantum docent animæ respectus ad hanc vitam & brevem societatem, omiso respectu æterno, non sunt media ad cognoscendum se ipsum, sive animam humanam.

Talia autem sunt media omnia per auctorem proposita.

Ergo rationes auctoris non sunt media ad cognoscendum semetipsum. Itaque non tradidit media ad tollenda præjudicia: neque potest obtainere scopum sibi propositum: & eleganter quidem, sed nec solide, nec juste tradidit spiritum legum.

33. Nam auctoris media cognoscendi semet sunt clima, & alii

quicunque respectus animæ ad hanc vitam, ad hanc societatem.

Religio etiam docens immortalitatem animæ ipso docente principaliter ordinata est ad bonos cives seu socios hujus vitæ faciendos, Lib. XXIV. Cap. XIV. Doctrinæ tametsi non justæ, modo serviant ad utilitatem hujus societatis, auctori sunt *admirabiles* Lib. XXIV. Cap. XIX. Vid. *Disquisitio Spiritus legum* Num. 166. 169.

34. (6.) Rationes quæ relinquunt hominem indifferentem ad bonum & ad melius, ad bonum & ad malum, ad verum & ad falsum, non pariunt cognitionem sui ipsius seu hominis potius quam equi.

At Auctoris rationes sunt tales, ipsiusque scopus est talis.

Igitur rationes auctoris non sunt idoneæ ad parientam cognitionem sui in hominum universo genere.

35. Etenim auctor non querit id quod melius est, imo id quod melius est, ex suis rationibus & suo libro excludit Lib. XXVI. Cap. VIII. Vid. *Disquisitio Spiritus Legum* Num. 203. 204.

Rursus bonum illud, quod querit, nempe *utilitas hujus societatis* per se non est bonum homini *proprium*, nempe *justum*, aut *mrale*; sed est *indifferens*; cum ii, qui

II. Media agnitionis sui ipsius, quæ vere sunt talia, &c.

qui hac utilitate potiuntur, possunt esse injusti, Tyranni, Despotæ, Barbari, Iroki, Cyclopes, Sybaritæ, Cynoedi, Epicurei, Caribes, Centauri.

36. (7.) Cognitio sui res est multæ ac seriæ contemplationis: & inscriptio illa templi Delphici: *Nosce te ipsum*, etiam apud ethnicos difficilis existimata fuit. Hocque negotium implevit scholas Philosophorum, qui potissimum versabantur in cognitione Summi boni, absque quo semetipsos cognoscere posse desperabant.

At auctoris doctrina hominem facit natum ad se nutriendum, vestiendum, & omnes alias actiones vitæ humanæ, excepta *nimia* speculatione, hominemque abducit à speculatione quasi penitus.

Ergo doctrina auctoris non duicit, sed abducit hominem à cognitione suis.

Namque auctori *nimia* speculatio est, si *quinque momentis* per diem eliciatur actus abstrahens à tumultibus hujus vitæ. Vid. *Disquisitio Spiritus legum* Num. 194. &c.

II. Media agnitionis sui ipsius, quæ vere sunt talia, ab auctore Spiritus legum removentur.

37. (1.) Medium tale est speculatio. Hanc vero

removet. Removet igitur media agnoscendi semetipsum. Ut mox diximus.

38. (2.) Medium tale est exquisitio futuræ vitæ. At illud removet, supra Num. 32.

39. (3.) Medium agnoscendi semet est veritatis cura. At hanc insuper habet. Suprà Num. 30.

40. (4.) Medium agnoscendi semet est cura non tantum melioris, sed omnino optimi, hoc est *summi boni* irrequietus appetitus, quem non exsatiant omnia ista, in quibus auctor vult acquiescere nos & leges nostras. [Hoc vero optimi studium dicit auctor non convenire legibus, neque adeo legum Spiritui. Supra Num. 34. 35.

[Auctoris igitur Spiritus non est idoneus ad nos ducendos in cognitionem nostri ipsorum.

41. (5.) Medium nosmet cognoscendi est notitia graduum, quibus res quæcumque æstimandæ sint. Nam illos gradus qui non intelligit, ne hoc quidem intelligit, quo loco inter res certeras se ipsum habere ac ponere debeat.

Verum auctor dignitates rerum aut non examinat, aut sine examine primas partes tribuit huic vitæ: primas utilitati temporaneæ: & in hac regunda primum imperium tribuit climati.

B Id

10 III. Auctoris scopus est & ejusdem libri, Präjudicia &c.

Id quod pluribus locis profiteatur. Vid. *Disquisitio Spiritus legum* Num. 153. &c.

Itaque Auctor veras notitias ad cognoscendum seipsum idoneas removet, postponit, & deteriores substituit.

III. Auctoris scopus est & ejusdem libri, Präjudicia in omni hominum genere & gradu novis rationibus stabilire.

42. (1.) Auctor in præfatione sua dicit: *Si possem efficere, ut omnibus hominibus nascantur nove rationes ad amandum suum officium, suum principem, patriam, leges, & ut felicitatem suam magis sentirent in quavis regione, quovis regimine, quovis gradu, quo quisque se invenit positum, omnium mortalium me beatissimum putarem.*

Haud dubie vero id est scopus auctoris & ejus libri, in quo obtinendo beatitatem maximam collocat auctor.

Igitur scopus auctoris est, efficere, ut quilibet homo non alia amet, non alia probet, quam ea in quibus sese invenit positum, qualiacunque ea sint: auctoris enim non refert vera, an falsa sint bona illa.

At vero amare præsentia absque inquisitione veri vel falsi,

hoc, nî fallor, est proprie prædicium sequi.

Auctoris igitur scopus est, ut omnes homines præjudicia sequantur, ea ament, & in iisdem etiam obfirmentur per novas rationes, ab auctore suggeratas. Vid. *Disquisitio Spiritus legum* Num. 22. &c.

Igitur ubi Polygama viget in aliqua regione, auctor jubet eam amare: ubi est tyrannis, amare jubet tyrannidem: ubi alia monstrosa, hæc quoque amari vult, quia convenientia huic regioni; & quia adeo in his consistit & sentiri potest felicitas regionis.

43. (2.) Auctor tollit revera libertatem hominis ad aliter sentiendum, quam ut cujuslibet regio fert.

At hoc est maximum præjudicium, & omnium præjudiciorum fons ac sepes.

Igitur auctor præjudicia parat facere *invicta*.

44. Nam auctor docet characterem animi formari à cute, cutem à nervis, nervos à climate Lib. XIV. Cap. I. Vid. *Disquisitio Spiritus Legum* Num. 76. 77. Clima autem est causa naturalis & necessaria, & necessariæ causæ necessarius effectus est non liber: Igitur character animi est effectus necessarius non liber: scilicet Indi necessario sunt omni momen-

to

III. Auctoris scopus est & ejusdem libri, Präjudicia &c.

11

to sine actione: Angli tanquam machina necessario sunt sui ipsorum interfectores: Turcæ necessario polygami: Asiatici omnes necessario immutables in religione Mahumetana: Europæ in Christiana: Boreales necessario audaces & virtuosí: Meridionales necessario suspiciosi, sensuales &c.: Quæ omnia latius excussa sunt in *Disputatione Spiritus Legum* Num. 157. &c. Num. 93. &c. Num. 186. & Num. 204.

45. (3.) Scopus Auctoris est *Indifferentismus universalis* in omnibus rebus, excepta religione Christiana, ad quam indifferens non est, nisi secundum ipsius auctoris præscriptum instituatur.

Atqui *Indifferentismus*, qui prima fronte videtur omnibus præjudiciis hominem liberare, re ipsa unice foveat singula præjudicia. Quia homo v. g. vivens in statu corrupto in genere quidem & speculative est indifferens ad omnia alia: practice tamen est additus & devinctus ad hunc suum statum: & ex voto auctoris non debet se ab hoc liberare, qualiscunque sit; sed debet non obstante indifferentia generali amare *bunc solum statum, in quo se invenit positum*, ceteros non.

Ego auctor homines præjudiciis tanquam vinculis constringit.

Propositum auctori esse indiferentissimum generale, ostensum est in *Disquisitione Spiritus Legum*, Num. 204. & aliis locis.

46. (4.) Qui à Præjudiciis sanare omnes homines, aut illis medicinam ad hoc suggerere vult, is debet solida ac iusta principia serere, debet firmas ac stabiles ratiocinandi leges sequi.

At auctor principia ponit vacillantia ad utrumlibet oppositorum apta: Ratiocinationibus asfuetus est vitiōsis & sophisticis, quas pulcris verbis inaurat & figuris rhetoricas antithetorum, conduplicacionis &c.

Igitur auctor & ejus labor non est idoneus ad præjudicia omnibus hominibus eximenda: imo potius ad ea ferenda, ubi non sunt, & ubi sunt firmando. Quia ratiocinationes curvæ non sunt regula apta ad ordinandum animum pariter curvum & ad illum rectum faciendum.

47. (5.) Auctor sustinet, Asiae populos spiritum habere incapacem ad omnem motum ad omnem animi conatum, ideoque esse immutables in religione. Eadem fere dicere videtur de moribus; & si vel non diceret eadem, vi tamen principii eadem dicere debet: nam spiritus est incapax ad omnem motum in mutanda religione mala necessaria,

B 2

rium, cur magis sit capax ad motus necessarios in mutandis moribus?

At Asiani debent per auctorem amare hunc statum suum tanquam felicitatem.

Igitur Asiani debent amare incapacitatem ad deponenda principia mala. Et hoc est praejudicia hominum omnium sanare?

## PARS SECUNDA.

### *De Natura Praejudiciorum.*

#### *Sectio I. Quid intelligatur per RATIONEM?*

48. NEcessario hoc declarandum ante cetera est. Quia praejudicium esse videtur defectus rationis, & rationis aliqua certa perfectio medetur praejudiciis. Igitur nisi decernatur quid per rationem intelligi debeat, nunquam certam de praejudiciis sententiam tuleris.

49. Ratio variis modis potest accipi. Primo Ratio sumitur pro facultate cognoscendi simpliciter. Ita rationales sunt etiam angeli quia sunt capaces cognitionum faciendarum. Rideant me, licet, Politici & Spiritus fortes, cum angelos nomino. Nam

ipsorum ratio non est tam fortis & capax, ut concipere angelos, hoc est *Spiritus separatos à corporibus* possit. Nihil eorum fortis ratio concipit, nisi spiritum cum materia, aut qui totus materia sit.

50. Secundo per rationem intelligitur facultas per cognitionem inferendi unum ex alio, seu *facultas discursiva*. Et hoc sensu magnæ versantur contentiones, num animantes ceteræ habeant rationem? Quamvis multi de his rebus sœpe decernant liberrime, qui earum notitia imbuti sunt minime: quæ est una ex ceteris infelicitatibus humanis.

51. Tertio ratio sumitur pro facultate *abstrahendi*, sive ex ideis & notionibus singularium rerum eliciendi notiones universales. Has autem nugas dicunt plerique politici & fortes spiritus; quia plerumque eorum spiritus non est ita liber, ut materiam abstrahat conceptibus singularium, cum plerumque totus sit in materia conceptus.

52. De tribus his rationis significationibus non est sermo, ubi de judiciis agimus. Nemini enim dubium esse potest, tam ei, qui praejudiciis caret, quam qui iis est occupatus, debere adesse *facultatem cognoscendi*, *discurrendi*, *abstrahendi*. Nam qui his caret, non

#### *Sectio I. Quid intelligatur per RATIONEM?*

non præjudiciis laborat, sed pecus est: & forte minus quam pecus; quia non improbabile est, pecudibus etiam adesse aliquem gradum prædictarum facultatum. Neque tamen existimo ex illis doctis, qui talia in pecudibus agnoscunt, quemquam facile fore, qui dicat, pecudes præjudiciis laborare.

53. Quarto per Rationem intelligitur facultas agendi propter finem. Quæ cum homini manifesto insit, de ceteris animantibus rursum disceptant multi doctorum. Videtur ea facultas consistere in tribus præcedentibus facultatibus, aut ex iis resultare, easque presupponere: vix enim propter finem agere poteris, nisi eum concipias, de eo discurras, eum ab aliis abstrahas.

54. Ne de hoc quidem rationis significatu in hoc de præjudiciis argumento sermo est, ut verbo absolvam, de *nulla facultate* ad cognitionem pertinente; quia *facultas* talis deficiens non *præjudicium* dici potest, sed amentia, infantia, stupor, aut etiam belluinium aliquid.

55. Per rationem Quinto potest intelligi Electio mediorum ad obtinendum finem; sive electio unius medii p̄e alio. Sed rursus neque hæc electio videatur esse præjudicium illud, quod

multi damnant & ponendum suadent. Nam tale præjudicium utique debet esse malum, quia deponendum? atqui Electio mediorum est necessaria, & qui hanc nobis auferrent, auferrent non præjudicium, sed humanitatem.

56. Per rationem Sexto intelligitur *Medium ad verum apprehendendum*. Et in hoc sensu accepta ratio pertinet ad hoc nostrum negotium, seu ad hanc de præjudicio disquisitionem.

57. Cum igitur Ratio in hac acceptione sit *Medium ad verum agnoscendum*, sequitur, duo à nobis quæri hic debere: nimirum quid sit verum & agnitus veri? Deinde quid, qualeve sit medium patefaciens nobis veritatem, seu ad illam nos ducens?

58. Verum igitur alias sumitur *objective* seu *transcendentaliter*, in quo sensu non distinguitur ab ipsis rebus. Sic Sol, luna, terra, elementa, animantia, vera sunt.

Alio modo verum sumitur *formaliter* seu *respective*: & est conformitas intellectionis cum objecto cognito. Sic si concipio hominem talem, qualis est; si eum judico, qualis est, bonum, malum &c.: Si de eo conclusiōrem facio talem, qualis ex eo derivari potest; meus conceptus, meum judicium, meus discursus tunc verus est. Omnes enim homi-